

Band XI., Nr. 5162, Seite 161

König Albrecht verleiht der Stadt Waldsee Ravensburger Recht.

Holzkirchen, 1298. September 13.

Albertus dei gratia Romanorum rex semper augustus universis sacri imperii Romani fidelibus presentes litteras inspecturis gratiam suam et omne bonum. Dignum iudicat nostra serenitas et decernit, quod fidelium nostrorum commodis tanto gratiosius intendamus quanto iidem sacrosancto Romano imperio et nobis imperii atque rei publice curam gerentibus fidelius coniunguntur. Cum enim subditorum commodum et commoditatis augmentum nostra procurat serenitas, dilatationem honoris regii et dignitatis imperii promovemus. Quapropter ad universitatis vestre notitiam tenore presentium cupimus pervenire, quod nos nobilium virorum fratrum de Walse dilectorum nostrorum fidelium precibus favorabiliter inclinati prudentibus viris . . . sculteto consulis et universis civibus oppidi de Walse, quorum devota fidelitas et fidelis devotio erga nos et Romanum imperium fervere dinoscitur, omnes libertates gratias et iura ab inclite recordationis imperatoribus et regibus Romanorum nostris predecessoribus civibus de Ravenspurch fidelibus nostris et eorum oppido traditas et concessas ipsis civibus et oppido in Walse de liberalitate regia duximus perpetuo concedendas, ut eisdem libere et quiete gaudeant et fruantur, sicut dicti cives de Ravenspurch gratiis perfruuntur huiusmodi et hactenus sunt gavis. In cuius rei testimonium presens scriptum exinde conscribi et maiestatis nostre sigillo iussimus communiri.

 Datum apud Holtzkirgen, idus Septembris, indictione XI., anno domini millesimo ducentesimo nonagesimo octavo, regni vero nostri anno primo.

—

Der Textabdruck folgt dem Original.
 Siegel abgegangen.

Überlieferung und Publikationen

Lagerort:

Stadtarchiv Waldsee

Editionen:

Winkelman: Acta imperii inedita, S. 256.

Regesten:

Regesta Imperii Kaiserreich (Additamentum II), Nr. 646.

Weitere Angaben

Ausstellungsort:

Holzkirchen

Aussteller:

Albrecht I.; König, Herzog von Österreich

Ortsindex:

Bad Waldsee Wohnplatz (18837)
 Bad Waldsee, RV
 Holz-
kirchen, WÜ
 Ravensburg Wohnplatz (20120)
 Ravensburg,
RV